

missionis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ : quæ commissio & delegatio ipsis est commissæ in dicta Decretali, & statuto Concilij Vienensis. Quæ Decretalis est inserta in corpore iuris, sicut sunt insertæ aliæ leges communes Ecclesiasticæ : & habet eandemmet vim ac virtutem, quam habet aliæ leges, propter quod sub dicto nomine priuilegij minime venit intelligenda. Et probatur manifestè : nam in rebus moralibus verba interpretari debemus, secundum communem, & moralem modum loquendi, vt dicitur in iure cap. Ex literis, de Sponsalibus. Atqui secundum communem & moralem loquendi modum juris peritorum, per hoc nomen priuilegium simpliciter & absolute dictum, nõ intelligimus illud, quod est in corpore iuris insertum : concluditur ergo Concilium Tridentin. in illis verbis [priuilegiis] Decretalem supra dictam comprehendere noluisse. Si enim ipsam vellent comprehendere, aliquid aliud adderet : cum priuilegium in ea contentum sit ius commune in Concilio Generali Lateranensi confirmatũ. Item hæc sententia amplius corroborat, & fulcitur, si consideremus dictam Clementinam fuisse sententiam quandam, datam